



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Quae ad reliquum ecclesiarum cultum perpetuò curari oportet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Illa item, quorū os bradellę altaris propius est tribus cubitis, ad tres mēses obstruantur, humoq; iniecta oppleātur.

Item de sepulturis fiat bradellam altaris attingentibus.

Cœmeteria duorum mensum spatio sepeliantur: alio qui ne in ijs, aut in ecclesijs sepeliantur, sed in cœmeterio propinquiori quod septum sit.

Crux trium mensum spatio in medio cœmeterij collocetur.

Crucifixi imago in omni ecclesia ad cappellę maioris ingressum affigatur.

In frontispicio cuiusvis ecclesię ex instructionum fabricę ecclesiasticę præscripto, quamprimum fiat.

Suggestus in omni ecclesia parochiali, ex forma ijsdem instructionibus comonstrata struatur.

Altaria portatilia, mensura ampliori in ijsdem instructionibus demonstrata parentur et fiant: reliqua minori mensura, ad constitutum tempus visitationis apostolicę decreto confringantur.

Turri campanili, ex earundem instructionum præscripto, ostium cum suis valuis, clavis, seris, pessulove ad mēsem fiat.

Supellex ecclesiastica duorum mensum spatio in vnaquaque ecclesia hæc ut infra paretur.

PURIFICATORIA, | numero  
Corporalia. | & ratio  
ne olim præscripta.

Superpellicea quatuor; duo scilicet quę parochi rectorive ecclesię; ac totidem clerico vsui sint.

Signacula Missalium.

Capsula, quam scatulā dicunt, in qua purificatoria includantur.

Capsula item pro corporalibus.

Mappę pro manibus abstergendis.

Vas ad vsū lauandi corporalia, & alia huiusmodi.

Vasculū rotundū pro recondendis hostijs magnis, & alterū item pro paruis.

Tabella orationum ante & post Missę sacrum dicendarum.

Tabella secretorum in Missę sacro.

Tabella orationum, quę a sacerdote dicuntur, cum Missę sacrum facturū, vestes induit, & exiit.

Quę in zdificatione, fabricave cuiusvis ecclesię perpetuò caueri vel curari debent, hæc sunt.

NE in ecclesia quidquam noui zdificij sine concessu nostro literis exarato fiat.

Ne item noua ecclesia exstruatur.

Ne sine concessionis etiam nostrę literis cappellę, altarisve locus detur, neque rursus cappella, altareve exstruat.

Ne præterea sine facultate à nobis data, & scripto exarata, oratoria etiã vbi non celebratur, fiant; neq; item pile struētiles sacrarum imaginum erigantur.

Ne sacrę imagines ante apponantur, quàm stata prece benedicantur.

Ne campanę ante statam solennē benedictionē in turri campanili appēdātur,

Campanis conslandis caueatur ex instructionum præscripto ab inscriptionibus non probatis.

Ne in ecclesia sine cōcessionis nostrę literis sepulera struantur, fiantve.

Ne in sepulcris item, aut in ecclesijs, epitaphia, elogia, inscriptiones, alia ve literarum monumenta; nisi à nobis primū probata, fiant, sculpantur, exarantve.

Curetur, vt cœmeteria vsurpata, ex decreto nostro prouinciali recuperētur.

Sepeliēdi in cœmeterijs vsus restituat. Lampas non è latere, sed in medio altaris.

Eadem ex instructionum præscripto aurichalco contexta sit.

Quę ad reliquum ecclesiarum cultum perpetuò curari oportet.

VT immunda illuuiēs, vrinę proiectio, lutum, & sordes cuiusvis generis, à cœmeterijs & parietibus ecclesię arceantur: arbores, arbusta, stirpes, vites, hederę, rubi, spinę, & cætera id generis ab ecclesijs & oratorijs procul sint, & amoueantur.

A cœmeterijs itē quamprimum conuellantur stirpes, & arbores etiã infrugiferę.

A puluere, puluerulentoq; situ, & ab araneis, crebrò, & ecclesijs, & earū partibus, & oratoria mudentur & purgantur: pauiementa item sepius verrantur.

Capsu-

Capulæ elemosinarie in vrbe ad mensem vnum, in diocesi ad duos menses, ex visitationis apostolicæ præscripto ne sint, sine scripta nostra facultate.

Sedilia muliebria, vulgo bradelle, statim amoueantur.

Noua ex instructionum nostrarum modo præfinito fiant.

Profana priuatim, proprieq; intus collocata, ex visitationis apostolicæ decreto statim attribuantur atq; addicantur.

Ne in ecclesia, camiterio, atrio, vestibulo, porticu, foribus, parietibus, stillicidij finibus, res venales, neq; ad ecclesiæ quidē vsu, nec verò à clericis ipsis proponantur, assignantur, apponanturve.

Ne laica supellex, frumentum, legumina, fruges, nec verò instrumenta fabrilia in ecclesia reponantur.

Ne valuis foribusve ecclesiæ schedule aut scripta rerum profanarum assignantur.

Exportatio & importatio rerum profanarum, iter item, transitusve ad rerum item profanarum vsu tollatur omnino.

Vniuersitatū cõsilia ab ecclesijs prorsus remoueantur.

Ad supplicij significationem campanæ ne adhibeantur.

Ne in ecclesia scholæ, præterquã doctrinæ christianæ, absque concessu nostro literis exarato habeantur.

De mulieribus bene velatis, vt edicto nostro cauetur, executio verè, oinoq; sit.

Bulla Pij V.  
6. Cal. Apr.  
1566.

Omnis irreuerentia conuersationis, vt Pij Quinti Pont. Max. sanctione, & decretis nostris prouincialibus cautū est, prorsus tollatur.

Mendici vagantes ab ecclesia excludantur.

Custodes, clerici, & alij ecclesiarum ministri, ad quos pertinet, in admonendis, & deferendis mulieribus ad præscriptum non velatis, & viris item in Missæ sacro genua non flectentibus, aut in ecclesia irreuerenter versantibus, aut mendicis, per ecclesiam vagantibus, officium suum accuratè omnino exequantur.

Bul. ead.

Mulcta exigatur, Pij V. Pont. Max. sanctione rectoribus ecclesiarum, custodibus, & Capitulis proposita, eos corrigere negligentibus, qui in ipsis ecclesijs irreuerenter versantur.

Circulatores, & ludentes pila in pla-

teis ecclesiarum, quò tempore diuina officia in illis celebrantur, multa plectantur.

Decretum concilio prouinciali primo editum de confugientibus ad ecclesias, seruetur omnino.

Ecclesiarum & Oratoriorum clauēs, si quæ ecclesiæ sunt, quæ illas non habent, octo dierum spatio conficiantur, & in custodiam parochi tradantur; aut si necesse est, alij item ex concessu Vicarij foranei, non conductori tamen, mulctæ pœnæve cautione facta, si ad profanos vsus adhibeantur.

Ecclesiæ parochiales certis horis ad tabellæ præscriptum claudantur.

In oratorijs minoribus latitudine cubitorum viij, longitudine cubitorum decem, Missæ sacrum non fiat.

Altaria singula cruce in medio collocata semper ornata sint.

Ab vniuscuiusq; eorū præterea utroque latere decenter positis candelabris duobus.

Vestita item sint mappis mundis tribus: quarum exterior oblonga, ad imam vsque altaris partem pertingat; reliquæ duæ breuiores sint.

Gradus quoque lignæ ab vniuscuiusque altaris tergo collocatus, mappa sternatur.

Tela viridi altaria singula consternantur, nè puluere aliave forde mappæ inquinentur.

Ornata item sint pallio coloris cum diei festi feriæve ratione congruentis, ex instituto S. Ecclesiæ.

Tabella secretorum, etiam in vnoquoque altari apponatur. Quæ tabella peracto Missæ sacrificio erecta ne stet; sed depressa, sub tela mappaue recondatur.

Ecclesiarum quæ frequentantur, altaria singula, cum fores ecclesiæ patent, ipsis ipsis ornamentis semper instructa atq; ornata sint.

In reliquis ecclesijs idem diebus saltem festis præstetur.

Altare maius, decentiori insigniori q; semper ornatum ac vestitu instruat.

Et pluribus lampadibus cum vna tantum accenditur, illa media accendatur.

Sacris corporibus sanctorum, & reliquijs insignioribus lampas adhibeatur perpetuò.